INDEX LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE STUDIORUM JAGELLONICA

A DIE 1. OCTOBRIS ANNO MDCCCXXVIII.

AD MEDIUM MENSEM JULII ANNO MDCCCXXIX.

INSTITUENDARU

ha

CRACOVIAE

TYPIS UNIVERSITATIS.

Civibus Literarum Studiosis

S. P.

RECTOR
SEBASTIANUS GIRTLER

PHIL. ET MED. DOCT.

De quatuor Codicibus Valerii Maximi in Bibliotheca Universitatis Cracoviensis.

I. Codex membranaceus *4to* literis minusculis cum paucis majusculis scriptus. In compacturae asserculo interiori: Anno domini 1341. emi pro decem florenis, manu sec. XV. annotatum, folio membr. 1. repetitus annus idem et expressus antiquus Codicis numerus 484. anno fortassis 1625. ni fallimur Joannis Broscii manu.— P. 1. incipit Index; p. 9. Textus folio satis bene miniato. Libro I. et II. occurrunt glossae interlineares et marginales. Abhinc cessant. Omnes libri diligenter correcti usque ad finem, non carent tamen passim lectionibus mendosis, plerumque nitent optimis, quae cum Abrahami Torenii lectionibus congruunt. P. 29. computus foliorum ab initio textus incipit 11. p. 31. 12. Arabicis numeris, quae numeratio a primo ad decimum folium fuerat, ea cultro a glutinatore abscissa esse videtur; restant tamen pauca vestigia. Ultimo Folio 175. eoque recto: annus 1341. bis expressus colore nigro, numero Arabico. Rubro colore: *Expliciunt X. libri Valerij.* Sequuntur 5. paginae vacuae. Constat igitur totus Codex quadratus foliis 181. totus una eademque manu scriptus.

II. Codex papyraceus folio; olim numero 826. fol. Signum Papyri linteae passim levigatae varium. Scriptura satis bona; p. 1. 2. index. P. 540 3. incipit textus; p. 42. *Finis libri I. incipit IIdus*, spatio satis amplo relicto ad iconem depingendam, quae non adest; — p. 332. *Finitum est hoc opus die Jovis penultima Mensis JanuarijAnno domini Millesimo Quadringentesimo Quadragesimo quarto.* Codex totus una eademque manu scriptus — Post 5. folia vacua: Recomendatio praelectionum ad Valerii Maximi L. IX. Ludovico cuidam nobili genere noto inscripta ad p. 364. tum alia manu usque ad finem p. 571. ubi hoc legitur distichon:

Explicit istud opus; requies optata precatur,
Hinc tibi sint laudes secula cuncta, Deus.

Jn fine Codicis papyri signum: caput bovis cum cruce inter cornua. Papyrus vacua ad p. 579. L. I. et primis L. II. capitibus glossae interlineares et marginales, quae deinde cessant a p. 47. Codex hic quoque inter meliores referendus fuit olim Κτημα Matth. Dobrowka Pr. Hoc expressum erat in schedula, quae periit, s. potius vetustate obliterata est, — numerus olim 1024.

III. Codex chartaceus folio. In compactura: *pro libraria Artistarum legatus per* 541 *Magistrum Johannem de Oświanczym professorem in Cracovia.* Jlle Johannes Sacranus latine dictus jam notus est. Janociana II. p. 235. CXXIV. P. 4. *Exposiciones librorum Valerii maximi secundum Dionisium fratrem ordinis Heremitarum Scti Augustini de Burgo Sancti Sepulcri ad dominum Johannem de Columpna Cardinalem incipiunt.*

P. 5. incipit textus circumdatus commentario; p. 27—43. luxatus contextus. A pag. 204. cessat Comentarius L. VI. 5. Jn fine, p. 279. colore rubro: *Valerii Maximi pompeii militaris opus expletum. Scriptum per me Jacobum de Adria XVIIIº die mensis Augusti. Favete michi, altissimo cui sit laus et gloria in infinita secula seculorum amen, amen, deo gratias amen.* Haec verba scripta sunt inter duas icones rudem in modum factas, quarum altera Doctorem cum baculo dictantem Valerii Maximi initium: *Vrbis rome exterarumque gentium facta* etc. altera tres di-

scipulos idem scribentes exhibet. Sub his: *Liber dictorum et factorum venerabilium*, inferius autem ut opinamur arma Urbis Adriae a duobus angelis portata. A p. 243. ad 288. papyrus bombicina esse videtur a p. 281. deinde vacua chartacea, cui insigne botrus; in textu v. gr. p. 99. autem cor cum sagitta erecta desuper. Hic codex quoad lectionum bonitatem praecedentibus parum cedere videtur.

IV. Codex; in compactura: asserculo verso: *Liber maystri Bartholomei de Zneyna*—Fol. membr. I. recto: Jdem: *pro minori collegio*—p. 1. fol. chartaceo recto: *a cultu deorum petere in animo est de conditione ejus sennãtim* (*sic pro: summatim*) *disseram*, tum colore rubro:—Sequitur *Capitulum primum de religione. Majores nostri statas solennesque* etc. Primum folium et secundum evulsum; septem sequentia a p. 1. ad 15. a muribus in ima parte dilacerata sunt. Glossae interlineares et marginales per totum fere codicem satis bene, sed non correcte scriptum, continuatae sunt usque ad p. 721. In fine operis p. 725. *Explicit liber Valerii Maximi. Et est finitus per manus Johannis de Borzykowa. In vigilia Bti Thome Apostoli Anno domini Milesimo sexagesimo septimo Deo gracias.* Hic Codex illis tribus longe inferior.

VARIETAS LECTIONIS LIBRO VII. C. 7. ET 8.

EDITIO BIPONTINA a. 1783. e rec. Torenii.	CODICES NOSTRI QUATUOR. I. II. III. IV.
p. 377. 1. lin. 3. e castris nuntium accepisset.	*sic I. II. III. sed IVtus Codex habet pro nuntio: testimonium.*
2. lin. 6. illi in judicio	*IV. illo in judicio*
3. Tettium	*IV. Tertium*
4. Testamento etiam utroque praeterito.	*IV. testamentoque etiam utrumque praeteriit.*
Si ipsa aequitas hac de re cognosceret, possetne justius ac gravius	*III. IV. si ipsa aequitas de hac re cognoscere potuisset, ne justius,*

pronuntiare?	*ac gratius pronuntiaret.* Opinamur deesse post voculam justius: quidem.
	I. *Si ipsa aequitas hac de re cognoscere potuit ne justius aut gratius pronuntiare.— II. pronuntiaret.*
5. dum sic te geris	*I. IV. dum sic te egeris*
6. Naeviani	*I. Naevii*
— abrogavit	*IV. obrogavit*
7. Multo Q. Metellus	*I. Multo quoque Q. metellus*
Cap. VIII. 1. sanguine proximus	*IV. s. ei proximus*
2. viginti numûm	*III. viginti M. numum* *)
4. transalpinae	*IV. cisalpinae*
8. et spiritu supremos anhelitus reddente.	*II. IV.* quod Torennius in nota 41. probavit, in textum tamen non retulit: p. 694. *Spiritum supremo anhelitu reddens.* *At. I. III. et spiritu supremo anhelitus reddens.*

Caeterum tam Codex I. quam II. pro VIII. novem capita libri VII. computavit, scilicet: *Caput VII. de testamentis, quae rescissa tunt VIII. quae rata manserunt, cum causas haberent, cur rescindi possent* 1. 2. 3. 4. *IX. Qui adversus hominum opiniones* (m?) *haeredes habuerunt* 5. 6. 7. 8. 9. Corrector in Codice II. adnotavit octo esse capitula, non novem.

Edvardus Schraderus in commentatione de nexu successionis ab intestato et querelae inofficiosi Testamenti. Goettingae 1802. 4*to* p. 9. 10. §. 7. non Codicum manuscriptorum auctoritate, sed conjectura ductus eandem capitum divisionem contra Jo. Henr. Boehmerum asseruit.

His paucis praemissis, Juvenes Ornatissimi, Vos ad diligentiam assiduam et ad morum probitatem et pietatem eximiam commonefacere et exhortari in animum induximus, quo facto, ut Deus studiis vestris felicissimos successus concedere velit, optamus. Dat. Cracoviae d. 1. Octobris a. MDCCCXXVIII.

*) Sic quoque Torenius p. 689. 690. nota 7. mavult.

ORDO THEOLOGORUM.

Matthaeus Kozłowski Ord. Praed. S. Theol. Dr. Hist. Eccl. Prof. P. O. h. t. Fac. Theol. Decanus.

Hora matutina 10—11, quotidie, die Jovis excepto, exponet Historiam Ecclesiasticam, methodo Alberi.

Florianus Kudrewicz Ord. S. Basil. M. S. Theol. D. Sacrae Script. Prof. O. P.

Horis matutinis 9—10. exceptis diebus Jovis, quotidie Archaeologiam biblicam, Hermeneuticam generalem et specialem Veteris Testamenti ac Philologiam tradet, demum explicabit Psalmos, incipiendo a Psalmo XLV.

Nicolaus Janowski S. Theol. Dr. Moral. et Postoral. et Eloquent. Sacrae Prof. P. O. Can. Ecclesiae Cath. Crac. Decanus, Jud. Sacr. Consist. Gener. Episcopat. Dioeces. Crac.

Horis pomerid. 1—2. diebus quinis per hebdomadem, scilicet die Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Saturni, tradet Theologiam Moralem ad mentem Ecclesiae Romanae Catholicae. Jdem praeleget etiam Pastoralem Theologiam et praecepta Eloquentiae sacrae.

Joannes Stanislaus Przybylski S. Theol. Doct. Ecclesiar. Cathedr. Cracov. et Archicoll. Lancic. Canonicus, a Reg. Varsav. Liter. Universit. binis Metallion. Aur. Magn. insignitus, Sacrorum Dogmatum Prof. Ord. Publ.

Singulis per hebdomadem horis matutinis 7—8, die Jovis excepto, Jnstitutiones Dogmaticas profitebitur.

Petrus Pękalski S. Theol. D. Canon. Ord. SS. Cust. Hierosolymit. Linguarum orientalium Prof. Extraord.

Horis pom. 1—2. diebus Lunae, Martis, Jovis et Mercurii tradet Linguam Hebraicam, Chaldaicam et Syriacam.

Joannes Mastelski S. Theol. D. Can. Kielec. Burs. Hierosolym. Senior, Prof. Extraord.

Horis pom. 2—3. diebus Martis et Saturni Theologiam Pastoralem tradet.

ORDO JURISCONSULTORUM.

Adamus Krzyżanoswki J. U. D. P. P. O. h. t. Fac. Jur. Decanus.

Hora 9—10. diebus Lunae, Mercurii et Saturni, diebus autem Martis, Jovis et Veneris 8½—10. Historiam Juris antiqui Polonici, deinde Codicem Civilem in Regno Poloniae vigentem, ratione Codicis Civilis Austriaci et Legum antiquarum Polonicarum habita, tum Codicem mercantilem, qui in Regno Poloniae obtinet, cum applicatione legum, quae apud gentes vicinas in usu sunt, explicabit.

Josephus Jankowski J. U. et Phil. D. Philosoph. Prof. P. O.

Hora pom. 5—6. quotidie, excepto die Saturni, jus naturae universum, privatum, civitatis et gentium, nec non Methodologiam et Encyclopaediam Juris docebit. Jdem hora matut. 8—9. diebus Martis, Jovis et Saturni, jus Ecclesiasticum tradet.

Antonius Matakiewicz J. U. D. Ord. S. Stanislai IV. Classis Eques P. P. O.

Horis Matutinis ab 8—9. quotidie exceptis diebus festis: semestri hyemali Codicem Judiciarium Civilem in Regno Poloniae vigentem explicabit, et quae e Codice Civili Astriaco judiciario et legibus antiquis Polonicis huc pertinent, simul exponet. Semestri aestivo Jus Criminale juxta textum Codicis Criminalis Austriaci cum applicatione Codicis Criminalis Polonici tradet.

Ferdinandus Koisiewicz J. U. D. Viceprofessor.

Horis mat. 9—10. quotidie; dieb. autem Martis et Jovis 8—10. Doctrinas politicas tractabit, scilicet I. Oeconomiam politicam II. Doctrinam administrandae reipublicae generalem III. Theoriam Statisticae IV. Rem aerariam,

V. Politiam VI. Constitutiones Regni Poloniae et liberae Civitatis Cracoviensis.

Constantinus Massalski J. U. M. Viceprofessor.

Horis pom. 5—6 1/2 Historiam Juris Romani, Jnstitutiones Justinianeas cum provocatione ad Pandectas et Codicem Repetitae Praelectionis, tandem Jus feudale tradet.

ORDO MEDICORUM.

Adalbertus Georgius Boduszyński Med. D. Pathol. generalis, tum Therapiae generalis ac Mater. medic. P. O. P. h. t. Fac. Med. Decanus, Reipub. Crac. Protomedicus.

Horis matutinis 10—11 1/2 diebus Lunae, Martis et Mercurii, lingua latina Pathologiam generalem explicabit; diebus Veneris et Jovis doctrinam de materia medica tradet iisdem horis, tum de Therapia generali, diebus Veneris autem binis horis continuis, alterna praelectione a 10—12 1/2.

Sebastianus Girtler Phil. et Med. D. Politiae Medicinalis, Histor. Medicinae, tum artis Veterin. P. O. P. Universitatis Rector.

Quum munere hoc et officio gravissimo districtus docendi partes ipse suscipere nequeat, eo moderante Julianus Sawiczewski Med. D. Prof. Extr. hor. 11. cum dimidia ad 12. diebus Martis, Jovis et Saturni, Politiam Medicinae ex propriis scriptis lingua polon. tradet. Deinde ad praelegendum de Historia Medicinae, pariter ex propriis scriptis, secundum ordinem variarum theoriarum et systematum, cum necessaria recensione accedet, idque latino idiomate. Jisdem diebus ab hora 5. ad 6. pomeridie artem veterinariam explicabit, mox secundum Pilgerum, mox secundum Bojanum, aliosque Auctores.

Jgnatius Woźniakowski Med. D. ab Augustissimo Imperatore Austriae Rege Apostolico Honoris Numismate ornatus, P. P. O.

Diebus Lunae, Mercurii et Jovis ab hora 4—5. idiomate polonico Chirurgiam theoreticam, eodemque idiomate Artem Obstetriciam diebus Martis et Veneris hacce hora tradet. Jam autem diebus Lunae, Mercurii et Jovis ab hora 11—12. ante meridiem Institutiones medico-chirurgicas tradet.

Josephus Kozłowski M. D. Anatomiae et Physiologiae P. P. O.

Anatomiam et Physiologiam tradet idiomate polonico, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris hora 9—10. Praeterea tradet hyemali semestri pro opportunitate, tempore vespertino duas horas continuas Anatomiam practicam. Semestri vero aestiuo Physiologiam diebus Mercurii et Veneris post meridiem ab hora 4—5. tum Medicinam forensem diebus Veneris a 3. ad 4.

Sixtus Lewkowicz Med. et Chir. D. Ordinis S. Annae III. Classis, tum Legionis Honoris Eques, Chir. et Art Obstet. Practicae P. O. P.

Hor. pom. 3—4. hyemali semestri, aestiuo autem a 6—7. pom. diebus Lunae, Mercurii et Veneris in curationibus Chirurg. rite instituendis, Auditores ad praxim formabit. Horis matut. 7. ad 8. Clinicem Chirurgicam duce Richerand, obstetriciam vero ducibus Baudeloque, Boer et Widmann quotidie exhibebit.

Josephus Brodowicz M. D. Pathologiae, Therapiae et Clinices P. P. O.

Hor. matut. 9—10. quotidie, diebus Saturni et festis exceptis, Pathologiam et Therapiam specialem lingua latina tradet. Clinicam autem praxin ab hora 8—9. matutino tempore per annum totum docebit, Latine studiosos Medicinae et Chirur. sublimioris, polonice discipulos Chir. inferioris.

Florianus Sawiczewski M. D. Pharmaciae P. P. O.

Diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 8. matutina ad 9 e propriis schedis Pharmaciam docebit, qua finita, aquarum mineralium naturam et indolem explicabit.

Julianus Sawiczewski, Med. D. Prof. Ext.

Hor. pom. 2—3. diebus Lunae et Veneris Thanatologiam sive Artem succurendi apparenter mortuis tradet.

ORDO PHILOSOPHORUM.

I. FACULTATIS MATHEMATICAE ET PHYSICAE.

Carolus Hube Phil. D. Matheseos sublimioris P. P. O. h. t. Facultatis hujus Dec.

Hora matut. 8—9. quotidie, exceptis diebus Saturni, tradet Analysim finitorum, calculum analytico-trigonometricnm, Trigonometriam sphaericam et Geometriam Analyticam, praecipue theoriam superficierum secundi gradus, duce Hachette.

Hora matut. 9—10. diebus Lunae, Mercurii et Veneris, calculi differentialis et integralis applicationem ad Mechanicam subliniorem docebit.

Josephus Markowski Phil. et Med. D. Chemiae P. P. O.

Hor. matut. 11—12. quotidie exceptis festis, Chemiam docebit.

Hor. 3—4. pom. diebus Lunae, Mercurii et Veneris Mineralogiam tradet.

Aloysius Estreicher Phil. et Med. D. P. P. O.

Hor. matut. 10—11. quotidie exponet Zoologiam per semestre hyemale, ducibus Cuvier, Ocken, Jlliger, Lamark et aliis, qui hac de re tractarunt.

Hor. matut. 6—8. Botanicen tradet per semestre aestivum.

Hor. pom. 2—3. Diebus Martis et Jovis tradet doctrinam de generis humani varietate nativa, per semestre hyemale.

Hor. pom. 6—8. exercitationes botanicas instituet et ad Botanicae practicae usum manu ducet, atque Dendrologiae rudimenta exponet per semestre aestivum.

Romanus Markiewicz Phil. D. P. P. O.

Hor. matut. 9½—10. quater per hebdomadem, die vero Martis ac Veneris

9—10. Physicam experimentalem ac theoreticam ad normam sui opusculi in usum Lyceorum editi, addens huic ex tractatu Physices Biotii addenda ampliora de fluidis expansibilibus et incoërcibilibus, ut de annulis coloratis, polarisatione fixa, mobili etc. ad finem vero anni doctrinam de Electro-et Thermo-magnetismo, e propriis schedis praeleget.

Franciscus de Paula Sapalski, Phil. D. Geometriae descriptivae P. O. P.

Horis 12—1½. Geometriam descriptivam tradet theoreticam, tum accomodatam perspectivae umbrarum, artibus fabrilibus et Gnomonicae, diebus Lunae, Mercurii et Jouis.

Hor. 4—5. pom. diebus Veneris et Saturni Mechanicam et Hydraulicam per semestre aestivum.

Hora 11—12. matut. diebus Solis, opificibus et artificibus tradet Architecturam et Mechanicam practicam.

Franciscus Szopowicz Phil. D. Mathes. Infer. P. O. P.

Horis matut. 8—9½. diebus Lunae, Mercurii et Saturni 8—9. diebus Martis et Veneris Mathesim inferiorem duce Lacroix cum praxi geometrica docebit.

Maximilianus Weisse Phil. D. P. P. O.

Hor. matut. a 9½—11. Astronomiam Theoreticam, horis pomer. a 3—4. Astronomiam practicam diebus Martis et Jovis propriis e schedis praeleget.

Felix Radwański Architecturae Prof. P. O.

Horis pom. 3—4. quotidie profitebitur Architecturae disciplinas. Scilicet cursu in biennalem diviso, diebus Lunae, Mercurii et Saturni tironibus praelectiones populari methodo ad practicum usum ex universa Architecturae scientia accomodotas, diebus Martis, Jovis et Veneris sublimiores Architecturae partes tradet.

II. FACULTATIS LITERARIAE.

Paulus Czaykowski, Phil. D. Literaturae Polonicae et comparativae P. P. O. h. t. Facultatis Phil. Literariae Decanus.

Hor. matut. 10—11. traditis praeceptis Eloquentiae et Poëseos, per Classicorum Auctorum exempla illustratis, Auditores ad exercitia Linguae Patriae in utroque orationis genere ducet.

Julianus Czermiński Phil. D. Historiae P. P. O.

Hor. matut. 11—12. quotidie, diebus Lunae, Mercurii autem a 5—6. pom. enarrabit I. historiam antiquiorem et recentiorem. II. Geographiam Physicam et Politicam. III. Docebit artem criticam, quae ad legendos historicos est necessaria. IV. Observationes in historiam universalem duce Ferrando (Esprit de l'Histoire) tradet.

Georgius Samuel Bandtkie Phil. D. Bibliographiae P. P. O. et Bibliothecarius.

Hor. pom. $1\frac{1}{2}$—3. die Mercurii, Veneris et Saturni, Bibliographiam profitebitur. Collegium styli cultioris duce Beckio (Artis latine scribendi praecepta Lipsiae 1802.) et disputatoria philologica et historica cum selectis juvenibus instituet diebus Martis, Jovis et Veneris, hora $7\frac{1}{2}$—9.

Hermanus Schugt, Phil. D. Linguae Graecae P. O. P.

Hor. pom. 2—4. diebus Lunae, Mercurii et Veneris explicabit Annales Taciti.
Hor. iisdem, diebus Martis et Saturni, Sophoclis Trachinias.
Horis pom. 4—5. Styli cultioris linguae Graecae praecepta profectioribus tradet. Semestri aestivo enarrabit Historiam Literarum Romanarum.

Josephus Jankowski J. U. et Phil. D. P. P. O.

Hor. pom. 3—$4\frac{1}{2}$. docebit Philosophiam theoret. et practicam diebus Martis, Mercurii et Jovis; Exercitationes vero paedagogicas instituet die Lunae. Die Veneris Historiam Philosophiae e propriis schedis tradet.

Lectorium in Bibliotheca publica Univ. Cracov. patebit hor. pom. 2—4. hyemali, 3—5. aestivo semestri diebus Lunae, Martis et Jovis. Hospitibus vero extraneis, qui Bibliothecam, Musea, speculam Astronomicam, et Hortum Botanicum invisere cupiunt, nulla hora praefinita est, dummodo tempus Praelectionibus sacrum Biblithecario et Praefectis Museorum Mineralogici, Zoologici et Horti Botan. condonare velint. Quovis tempore de commoda hora certiores facti curiosis hospitibus nunquam deerunt. Museum Physicum patebit curiosis, qui adesse dignabuntur, hora 10. matutina, finita praelectione.

Linguam Anglicam tradet Hermanus Schugt 1—2. Germanicam Ludovicus Teichmann hor. pom. 2—3. Italicam Stephanus Laberi 5—6. Petrus Augustinus Ledru Linguam Gallicam docebit quater de septimana diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni a 12—1. Alexander Sołowiewicz tradet linguam Rossicam et historiam literaturae Rossicae ab hora 4—5. post meridiem.

Artem saltandi Petrus Couder quater per hebdomadem hor. pom. 6—7. Artem equitandi Theodorus Cogen pom. 2—3. diebus Lunae et Jovis, diebus vero Martis et Mercurii 3—4. Jo. Bapt. Remy artem arma tractandi hor. pom. 2—3.

SCHOLA PICTORIA
ET SCULPTORIA

Josephus Peszke Pictoriae artis Prof. P. O.

Tradet artem pictoriam semestri brumali horis mat. 8—12. semestri aestivali 7—11.

Josephus Brodowski Pictoriae artis Prof. P. O.

Jisdem horis docebit artem pictoriam practicam et theoreticam.

Josephus Szmelcer Sculptoriae Artis Prof. P. O.

Horis mat. 11—12. docebit Sculpturae artem.

INDEX LECTIONUM

IN

LITERARUM

TOBRIS ANNO

NSEM JULII AN

TITUENDARU

RACOVIAE

ACADEM

JNDEX LECTIONUM

N

U ... DIORUM

...S ANNO MI...

...JULII ANNO...

...ENDA...

...COVIAE...

...VERSI...